

quod Apostoli testimonio confirmemur, N. T. non nisi morte Testatoris Christi initiatum atque stabilitum esse, Ebr. IX, 15. 16. 17. 18. Adde postremo tandem loco, omnem fidem, quae credidit in futurum adhuc meritum Christi, pertinere ad V. T. ideoque & eam fidem, quae ante Sospitatoris mortem, in eius meritum concepta est, V. T. oeconomiae adiudicandum esse, nullo negotio percipitur; inde conficimus, ante horam Iesu fatalem N. T. initiationem sine ratione quaeri. Quibus praemunitis oppido patet, illum a Paulo indicari terrae motum, qui in momento accidit, quo Iesus animam exspiravit, Matth. XXVII, 52. 53. 54. quod aequè ac ille, de quo antea, ad sanctionem foederis divini accessit. Quod si vero cuiquam haec minus certa esse videantur, quod omnia vitae Christi momenta inter dies novi saeculi referenda sint; repono, initia N. T. & quasi diluculum Kalendarum eius coepisse quidem inde ab eo die, quo munus suum auspicatus est praecursor Iesu Ioannes; sive ab eo temporis momento, quo a Ioanne sacro fonte resipiscentes initiati sunt, & primum fides in evangelium de Christo praesente ab iis exacta est. Verum initia N. T. ab eius inauguratione solemni, discrimine vero, non ficto, distingui, satis constabit, si tam eorum temporum historiam, quo N. T. sua duxit exordia, penitus inspexeris, quam eam cum V. T. historia paulo curatius contuleris. Id omne tempus, ex quo Christus natus est, vixit, docuit, miracula edidit, reliqua, merito initium N. T. iudicamus, quod non potuit non in decrefcentia V. T. tempora incidere. Attamen quoad Christus sub lege fuit, Gal. IV, 4. V. adhuc Testamentum fuit. Antequam in cruce exspiraverat, nondum omnia perfecerat, ergo ad id temporis momentum Christus γενόμενος ὑπὸ νόμῳ dies V. T. produxit. Tum demum ipsa consecratio fiebat sive sanctio N. T. morte Christi, Ebr. IX, 15. discisso ad imum velo, quo Veterum antiquatio egregie indicabatur; mortuorum resuscitatione; ac ingenti terrae motu, cum quo nullum unquam